



**Francisci De Fargna Civitatis Plebis Patrii Philosophiæ,  
Sacræ Theologiæ, ac J. U. Doctoris ... Commentaria In  
singulos Canones De Jurepatronatus**

Qui sparsim tam intrà, quàm extra corpus Juris Canonici vagantur ...

**Fargna, Francesco de**

**Romæ, M. DCC. XIX.**

Canon II.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72172)

## C A N O N I I.

## CONCILIUM TRIDENTINUM Sess. XIV. Cap. XII.

**N**emo etiam cujusvis Dignitatis Ecclesiasticæ, vel secularis, quacumque ratione, nisi Ecclesiam, Beneficium, aut Capellam, de novo fundaverit, & construxerit, seu jam erectam, quæ tamen sinè sufficienti dote fuerit, de suis propriis, & patrimonialibus bonis competenter dotaverit, Juspatronatus impetrare, aut obtinere possit, aut debeat. In casu autem foundationis, aut dotationis, hujusmodi Institutio Episcopo, & non alteri inferiori reservetur.

## C O M M E N T A R I U M.

**E**X hoc Canone sequentes deducuntur conclusiones.

Prima -- JUSPATRONATUS ACQUIRI NON POTEST, NEC DEBET NISI EX FUNDATIONE, CONSTRUCTIONE, AUT DOTATIONE ECCLESIE, SIVE BENEFICII DE PROPRIIS BONIS FUNDATORIS.

Secunda -- IN LIMINE FUNDATIONIS, SEU DOTATIONIS, INSTITUTIO RESERVARI DEBET EPISCOPO, ET NON ALTERI INFERIORI.

**I** Confirmat hæc Concilium, quod statutum fuit in *Can. I., II., III., & IV.*, quos superius *Part. I.* exposuimus, & in *Can. XXVIII.*, de quo diximus *Part. II.*, & solum superaddit, quod in futurum acquiri non possit Juspatronatus, nisi ex tribus illis causis Foundationis, Constructionis, & Dotationis; & quod à Fundatoribus reservari non debeat in limine foundationis, constructionis, aut dotationis Jus instituendi alteri, quàm Episcopo; Agnoscentes enim sapientissimi illi Patres, quantum sit præjudiciale Juribus Episcopi, quod Laici, & etiam Ecclesiastici acquirant Juspatronatus Ecclesiarum, & Beneficiorum in propriis Diocæsibus existentium ex Privilegio, aut ex alio titulo merè gratuito, & quod Jus instituendi reservetur à Fundatoribus; aliis, quàm Episcopis; ad consulendum horum indemnitati, optima ratione restrinxerunt originem acquirendi Juspatronatus in futurum ad solas supradictas tres causas, & prohibuerunt Patronis de cætero reservare Jus instituendi alteri, quàm Episcopo. Quam Conciliarem dispositionem sequuti sunt *Monach. in cap. unic. de Major.*, & *obed. in 6. num. 4.* ibi = *Beneficiorum Institutio de jure spectat ad Diocesanum, quod non valet infringi per statutum, aut voluntatem Testatoris, etiam si in Fundatione hoc caveretur* = *Lotter. de re benef. lib. 2. quest. 8. nu. 3.*, *Barbos. hic nu. 2.*, & *18.*, & *de offic. & potest. Episcopi par. 3. alleg. 72. nu. 176.*, *Amstaz. de caus. piis lib. 5. cap. 4. nu. 56.*, & *cap. 5. nu. 45.*, & *65.*, *Ventrigl. in prax. tom. 2. annot. I. §. 1. nu. 13.*, & *§. 3. nu. 39.*, & *seqq.*

Quod attinet ad Primam Conclusionem jam multos examinavi Casus *Par. I.* ubi supra, quos ibi legere poteris, hæc addo sequentes, ad utramque Conclusionem spectantes.

## ARGUMENTUM.

Habens jus nominandi Puellas dotandas, si ex bonis à Testatore pro earumdem Puellarum dote relictis fundetur, & construatur Ecclesia, an loco juris nominandi Puellas acquirat jus nominandi Rectorem ejusdem Ecclesiæ.

## SUMMARIUM.

- 1 *Consensus Episcopi est causa efficiens Juris patronatus.*
- 2 *Ultimus status in beneficalibus attenditur.* Limita ut n.6.
- 3 *Habens jus nominandi Puellas non acquirit jus patronatus Ecclesiæ; si hæc fundetur, aut construatur de bonis à Testatore relictis pro dote dictarum Puellarum, & num.8.*
- 4 *Construens, aut dotans Ecclesiam de propriis bonis, & expensis; si de his ab aliquo reintegratur; Reintegrans, & non ipse acquirit jus patronatus.*
- 5 *Consensus Episcopi nequit facere Patronum eum, qui non fuit fundator, constructor, aut dotator Ecclesiæ, Et quare? Vide ibi.*
- 7 *Episcopus instituens in Ecclesia libera Rectorem ad præsentationem alicujus, sibi ipsi, & non successori præjudicat.*

## CASUS I.

**I**n ultimo, quo decessit elogio, quidam pius Testator hæredem suum nominavit proprium filium, cui præ cæteris piis legatis injunxit, quod annuatim quinque dotalia subsidia scutorum quinquaginta pro qualibet distribueret totidem Puellis ab ipso nominandis; Commutatam, ac applicatam fuit auctoritate Apostolica ad preces hæredis hujusmodi legatum in erectionem Ecclesiæ; & in limine hujus foundationis fuit ab Episcopo tunc temporis reservatum jus patronatus favore ejusdem hæredis; qui in successivis vacationibus Ecclesiæ præsentavit ad illam Rectorem cum subsequuto effectu, vacata nuper eadem Ecclesia; modernus Episcopus prætendit eam non esse subjectam

Pars V.

Juripatronatus, & ad se liberè spectare quæro proindè an hujusmodi Ecclesia sit Patronalis, vel potiùs liberæ collationis.

- Suadet qualitatem Patronalem hujus Ecclesiæ reservatio Juris patronatus facta ab Episcopo in limine foundationis favore præfati hæredis, titulo quidem non merè gratuito, sed quodammodo oneroso, dum Ecclesia fuit fundata, constructa, & dotata de bonis, ad quæ hæres ex dispositione Testatoris habebat jus nominandi Puellas dotandas, undè justum erat, quod Episcopus, loco juris nominandi has Puellas, reservaret hæredi jus præsentandi Rectorem Ecclesiæ, quæ reservatio, consensus, & approbatio Episcopi, cum sit causa efficiens juris patronatus, nulli dubium esse potest quin reddat Ecclesiam Patronalem, juxta *Rot. in Vaden. Canonicatus 30. Junii 1704. §. Enim verò cor. Rmo Molines, & in Lucana Beneficii 26. Junii 1709. §. Insuper cor. R.P.D. Falconerio: & alias Auctoritates supra relatas. Part. II. Can. I. & II. Caf. 7. n. 10.*
- 2 In idem collimat ultimus Status hujus Ecclesiæ, siquidem hæc in ultima vacatione fuit ab Ordinario provisiva non liberè, sed ad præsentationem supradicti hæredis cum subsequuto effectu, qui status clarè demonstrat Ecclesiam esse juris patronatus, non verò liberæ collationis, dum si fuisset liberæ collationis, ordinarius, qui non solet esse facilis in declarandis, seu contra proprium commodum canonizandis juribus laicorum, non instituit ibi Rectorem ad ullius præsentationem ad tradita per *Felin. in cap. Eam te num. fn. de rescript. Federic. de sen. cons. 434. lib. 2. Marefcott. var. resol. lib. 1. cap. 55. num. 15. & seq. Rot. in Caputaquen. Cappellania 27. Junii 1718. §. Foundationis coram R.P.D. de Herrera, & alias auctoritates, quas refert, & sequitur Rot. in Mediolanen. Beneficii primo Aprilis 1707. coram R.P.D. Ansaldo impress. Par. 2. Cau. 22. 23. & 24. Caf. 4. n. 10.*
  - 3 His tamen non attentis existimo Ecclesiam hanc esse liberæ collationis; Hæres namque præfatus nihil de proprio contribuit pro foundatione, & constructione ejusdem Ecclesiæ, sed ipsa fuit fundata, constructa, ac dotata de bonis à supradicto Testatore relictis ad effectum dotandi nonnullas Puellas, & auctoritate
- L 2      Apo-

Apostolica commutatis in erectionem Ecclesiæ; & licet hæres ratione hujusmodi commutationis, & erectionis amiserit jus nominandi annuatim dictas Puellas dotandas, tamen hoc jus non est considerabile ad acquirendum jus patronatus Ecclesiæ, ad quem effectum requiritur fundatio, constructio, vel dotatio Ecclesiæ de propriis bonis, & expensis, ut apertis verbis dispositum fuit in hoc *Canone*, qui originem acquirendi juspatronatus unice reduxit ad has tres causas, & optimè explicant, & firmant *Corradin. in prax. benef. lib. 2. cap. 15. num. 19. Rot. dec. 383. n. 4. & 403. n. 5. & 413. num. 4. cum seqq. coram Peuting. Et quidem requiritur*

4 fundatio, constructio, vel dotatio de propriis bonis, & expensis, pro quibus fundans, construens, aut dotans aliundè non reintegretur; nam si quis una cum altera Persona expenderet de proprio plures pecunias pro constructione Ecclesiæ, & deindè à dicta persona reintegraretur de expensis, seu ei restituerentur pecuniæ expensæ; hæc altera persona, quæ ex propriis bonis reintegravit confocium de expensis, & non ille esset Patronus, & acquireret juspatronatus, quia ipse in hoc casu diceretur nihil de proprio contribuisse, ut in specie resolutum fuit à S. Rota in *Bituntina jurispatronatus 28. Novembris 1704. S. Sed etiam coram bo. me. Eminentissimo Caprara, ibi = Sed etiam ex eo, quod cum Franciscus alter ex fratribus dicti Fundatoris expendisset de proprio plures pecunias in constructione Monasterii, idem Fundator ei reliquit in dicto suo Testamento medietatem cujusdam prædii sub ea lege, & conditione, quod ipse Franciscus nullo modo petere possët, omnes, & singulas pecunias per ipsum expensas in constructione, & reparatione Monasterii &c. & cum in actu sic disponendi fuerit præsens idem Franciscus, qui se contentum declaravit, &c. utique bene colligitur Antonium unice fundasse Monasterium, & Franciscum nihil de proprio contribuisse =.*

Absque eo quod quicquam officiat consensus, & reservatio jurispatronatus, facta ab Episcopo favore hæredis in limine foundationis Ecclesiæ: talis namque

5 consensus, & reservatio non potest face- re Patronum ex Privilegio aliquem, qui non fuerit constructor, fundator, vel do-

tator Ecclesiæ ex supradictis bonis erectæ, quoniam nequit Episcopus rei Sacræ servitutem imponere sinè legitima causa in præjudicium Ecclesiæ, suorumque successorum, ac etiam S. Sedis Apostolicæ, quæ per dictum juspatronatus privaretur suo jure conferendi dictam Ecclesiam in mensibus reservatis. *Vivian. de jurepat. lib. 1. cap. 2. n. 45.*

6 Minusque meretur attendi ultimus status, quia iste utpote promanans à dicta reservatione jurispatronatus nulliter facta ab Episcopo, & sic à titulo infecto, nullius est roboris, & institutio Rectoris facta ab Episcopo in hac Ecclesia; ad præsentationem præfati Hæredis inefficax est pro canonizanda qualitate patronali; quia cum agatur de judicanda qualitate, seu natura beneficii, attendendum non est quid per ordinarium sinè causæ cognitione recentè actum fuit, ut optimè animadvertit *Rota in Caputaquen. Cappellania 27. Junii 1718. S. final. cor. R. P. D. de Herrera*; Et ipsa institutio, quamvis

7 præjudicet ipsi Ordinario instituenti, nullum tamen damnum gignere valet successori, qui præterdit Ecclesiam non esse servam, sed liberæ collationis. *Rot. in Mediolanen. Beneficii prima Aprilis 1707. S. Eoque certius, & S. Tertius, cor. R. P. D. Ansaldo dicta Part. 2. ubi supra impress.*

8 Et ità resolutum fuit à S. Congregatione Concilii in *Syracusana Collegiata*, ubi cum ab Episcopo prævia reservatione Beneplaciti Apostolici fuisset erecta Collegiata quatuor dignitatum, & duodecim Canonicorum de bonis à quodam pio Testatore relictis ad effectum dotandi annuatim nonnullas Puellas, nominandas à Confraternitate, nuncupat. S. *Maria la Nova*, cum reservatione jurispatronatus favore ejusdem Confraternitatis, loco juris nominandi dictas Puellas supplicatum fuit pro confirmatione, aut nova erectione hujusmodi Collegiætæ; proposito proindè dubio = *An sit locus confirmationi erectionis Collegiætæ, & quomodo in casu &c.* responsum fuit die 18. Feb. 1713. = *Negativè, sed esse concedendam novam erectionem juxta modum, & ad mentem =.*

Quæ resolutio confirmata etiam fuit in omnibus die 13. Aprilis 1715.

## ARGUMENTUM.

Fundator in limine foundationis Beneficii an possit reservare jus instituendi inferiori habenti jurisdictionem ordinariam.

## SUMMARIUM.

- 1 Referuntur Doctores tuentes posse in limine foundationis Beneficii reservari Institutionem inferioribus.
- 2 Institutio, non obstante, quod sit reservata inferiori, adhuc spectat ad Episcopum.
- 3 Episcopus non potest dispensare in Canone Concilii Generalis.
- 4 Jus instituendi considerari potest reservatum inferiori pluribus modis; & qui sint isti modi; Vide ibi.
- 5 Concilium non prohibet, nec tollit jus instituendi reservatum inferioribus in foundationibus præteritis secutis ante Concilium.
- 6 Prohibet tamen reservari institutionem simplici inferiori in futuris foundationibus de consensu Episcopi; secus de consensu, & beneplacito Apostolico; ut n.7.
- 8 Non prohibet reservari institutionem inferiori habenti jurisdictionem quasi Episcopalem, & num.9.
- 10 Quod institutio spectet ad Ordinarium, & non ad alium simplicem inferiorem procedit in Beneficiis collatis, secus in Cappellaniis merè laicalibus.

## CASUS II.

**C**uidam Abbati habenti Jurisdictionem quasi Episcopalem in propria Abbazia reservatum fuit à Fundatore in limine foundationis Beneficii A de consensu Episcopi jus instituendi; quæritur an hujusmodi reservatio sustineatur?

- 1 Facit pro validitate reservationis juris instituendi favore dicti Abbatis communis sententia nonnullorum Doctorum, qui floruerunt tam ante, quàm post Concilium, expressè tuentes, posse in limine foundationis Beneficii apponi conditionem quod institutio spectet ad inferiorem, ità enim docent *Abbas in cap. cum dilectus de consuetud. n.5.*, ibi = *Nota quin-*

*to &c. quod Episcopus potest in fundatione Ecclesie ad petitionem Patroni transferri in alium jus confirmandi Prælatum illius Ecclesie* = *Lambertin. de jurepat. lib.1.p.1. quæst. 9. art. 1. n.96.*, ibi = *Limita*, & tertio hanc tertiam conclusionem procedere, scilicet Patronum in limine foundationis posse apponere conditiones etiam contra jus commune de consensu Episcopi, quando ille conditiones referantur ad personam capace[m], puta quod institutio pertineat ad inferiorem Prælatum = *Barbos. de offic. & potest. Epis. par.3. alleg.72. num.178. in fin.*, ibi = *Et ideo in ipsa fundatione conditionem apponi posse quod institutio spectet ad inferiorem de consensu Episcopi* = *Card. de Luc. de jurepat. disc. 64. n. 32.*, ibi = *Cum ex lege foundationis, vel ex consuetudine, vel Privilegio, aut alio jure, id pertinere etiam possit ad inferiorem, puta ad capitulum, vel ad aliquam Dignitatem, seu Canonicum,* quin imò etiam ad Prælatum Regularem, quamvis agatur de Beneficio Saculari = *Palma Nep. alleg.159. num.30. tom.2. Rot. decis. 382. num. 2. coram Dunozett. & decis.110. n.4. 18. & 19. coram Bich. & decis.80. n.2. cor. Merlin.*

E' contra facit clara, & literalis dispositio S. Concilii Tridentini in hoc Canone, ubi expressè prohibet reservari jus instituendi aliis, quam Episcopo; immò *Felinus in cap. cum venerabilis de exception. num.32. & seq.* docet quod non obstante quod institutio esset reservata inferiori, adhuc spectaret ad Episcopum, ibi = *Ess enim regulare, quod provisio Ecclesiarum, quæ subsunt plebibus, vel aliis Ecclesiis inferioribus spectat ad Episcopum &c. etiam si Fundator Ecclesie ordinaret quod institutio ipsius non spectaret ad Episcopum, sed ad inferiorem* = *Minimè attento quod institutio fuerit reservata in limine foundationis favore inferioris de consensu Episcopi, quia Episcopus non potest minuire jus Episcopale in præjudicium successorum, nec potest dispensare in Canone Concilii Generalis. Ventrigl. in prax. p.2. annot.1. §.3. n.45.*

- 4 Pro resolutione tamen hujus quæstionis sciendum est jus instituendi considerari posse multipliciter reservatum favore inferioris; Potest namque esse reservatum Primò, in foundationibus Beneficiorum præteritis, & factis ante Concilium;

- lium; Secundò, in foundationibus Beneficiorum futuris post Concilium favore simplicis inferioris de consensu solius Episcopi. Tertiò; in foundationibus futuris post Concilium favore simplicis inferioris de consensu, & beneplacito Apostolico. Quartò, in foundationibus futuris post Concilium favore inferioris habentis jurisdictionem quasi Episcopalem.
- 5 Concilium Tridentinum in hoc Canone non prohibet, nec tollit jus instituendi reservatum inferiori in foundationibus præteritis sequutis ante Concilium, quia ibi mentionem non facit de præteritis reservationibus juris instituendi favore inferiorum, & consequenter illas comprehendere nequit, cum de natura constitutionis sit non transire ad præterita, nisi faciat mentionem de præteritis. *Gloss. in cap. ex frequentibus de instit. in configurat. casus in fin.*, sed tales reservationes sunt servandæ, & inferior, cui ex lege foundationis, aut privilegio, aut ex immemorabili competit ante Concilium jus instituendi, poterit instituere, & in hoc jure continuare. *Garz. de benef. par. 9. cap. 3. num. 19. vers. decima, Ventrigl. in prax. part. 2. annot. 1. §. 3. n. 44. Bertachin. vot. decis. 199. n. 5. S. Cong. Concilii in Civitatis Castellii Canoniatuum 31. Martii 1685. & in Vulteranen. juris instituendi 3. Augusti 1686. Burgen. juris instituendi 20. Decembris 1687. Rot. in Burgen. juris instituendi 23. Junii 1690. coram bo. me. Molines post Monacell. par. 2. dec. 22. n. 5.*
- 6 Prohibet tamen reservari institutionem tam auctorizabilem, quam collativam simplici inferiori, non habenti jurisdictionem quasi Episcopalem in futuris foundationibus Beneficiorum etiam de consensu Episcopi; juxta *Fagnan. in cap. cum Ecclesia Vulterana de elect. num. 32. Vivian. de jurepat. lib. 12. cap. 3. num. 9. Ventrigl. in prax. part. 2. annot. 1. §. 3. n. 40. Bertachin. ubi supra n. 5. Rot. dicta decis. 22. n. 4. 6. & seqq. post Monacell. par. 11. & dixi superius Par. 2. Can. XXVII. Cas. 3. num. 28.*
- 7 Non prohibet reservari jus instituendi favore simplicis inferioris in futuris foundationibus de consensu, & beneplacito Apostolico; ut tradunt *Corradin. in prax. benef. lib. 4. cap. 3. num. 26. Garz. de benef. par. 9. cap. 3. num. 19. vers. undecima. Piton. discept. Eccles. 22. n. 42.*
- 8 Neque prohibet reservari in futurum idem jus instituendi inferiori habenti jurisdictionem quasi Episcopalem de consensu Episcopi, ut testantur *Corrad. ubi supra Fagnan. in cap. cum Ecclesia Vulterana de elect. num. 32.*, ibi = *Et S. Cong. ejusdem Concilii interpret. consultata, an in juribus patronatus, que post Concilium acquiruntur, reservari possit institutio alteri, quam Episcopo, respondit non posse in Ecclesiis etiam exemptis, nisi rector illius ordinaria fungeretur jurisdictione = Ventrigl. in prax. par. 2. annot. 1. §. 3. num. 42.*, ibi = *Ampliat. &c. ut nec etiam in Ecclesiis exemptis possit reservari jus instituendi in jurepatronatus alteri inferiori, quam Episcopo, nisi Rector prædictæ Ecclesiæ fuerit ordinarius, ordinariaque fungatur jurisdictione, tunc enim potest illi reservari institutio = Bertachin. vot. dec. 199. n. 4. Rot. dicta dec. 22. n. 8. post Monacell. ubi supra par. 11.*
- 9 Quod clarè colligitur etiam ex duobus subsequenter capitibus ejusdem Concilii; disponitur enim in *cap. 18. sess. 24. de reform.*, de quo infra *Can. X.*, quod Episcopus debeat ex concurrentibus ad Parochialem eligere digniorem, quem Patronus præsentet habenti instituere, quando institutio spectat ad alium, quam ad Episcopum, ibi = *Cum verò Institutio ab alio, quam ab Episcopo erit facienda, tunc Episcopus solus ex dignis eligat digniorem, quem Patronus ei præsentet, ad quem institutio spectat = Et in cap. 9. sess. 25. de reform. de quo infra Can. XII. præcipitur, quod instituendi ab inferioribus sint ab Episcopo examinandi, ibi = Quod si ad inferiores institutio pertineat, ab Episcopo tamen &c. examinentur: alioquin institutio ab inferioribus facta irrita sit, & inanis = Ergo Concilium præsupponit posse inferiores instituere, adeoque in hoc Canone non prohibet, nec tollit jus instituendi quibuscumque inferioribus; sed solum inferioribus illis jurisdictione Episcopali carentibus; firmo remanente jure instituendi apud illos inferiores, quibus ante Concilium fuit jus instituendi reservatum, vel apud illos inferiores, qui habent jurisdictionem quasi Episcopalem; Et in hoc sensu procedunt omnes auctoritates superius allatæ §. Facit.*
- Ex quibus jam patet affirmativa resolutio

Initio præsentis quæstionis; cum jus instituendi fuerit in casu præsentis reservatum in limine foundationis Beneficii de consensu Episcopi inferiori habenti Jurisdictionem quasi Episcopalem. Cæterum  
 10 quod institutio spectet ad Ordinarium, & non ad alium simplicem inferiorem procedit in Beneficiis collativis, secus in Cappellaniis merè Laicalibus; respectu

namque harum fundator non solum potest reservare plenam, & liberam dispositionem simplici inferiori; verum etiam ipsismet Laicis, eis relinquendo electionem, seu deputationem, seu provisionem, seu positionem Cappellani, cum prohibitionem nè ordinarius, aut alius superior se se intromittat; juxta superius deducta  
 Par. 2. Can. 4. 5. 6. 7. & 8. Caf. 3. n. 1.

## C A N O N III.

CONCILIUM TRIDENTINUM Sess. XIV. Cap. XIII.

**N**ON liceat præterea Patrono cujusvis privilegii prætextu aliquem ad Beneficia sui juris patronatus, nisi Episcopo loci ordinario, ad quem provisio, seu institutio ipsius Beneficii, cessante privilegio, jure pertineret, quomodo præsentare: aliàs præsentatio, ac institutio, forsitan, & secutæ, nullæ sint, & esse intelligantur.

## C O M M E N T A R I U M.

**E**X hoc Canone sequens deducitur conclusio.

PRÆSENTATIO FIERI DEBET CORAM ORDINARIO HABENTE INSTITUERE, ALIAS IPSA, ET INSTITUTIO INDE SECUTÆ, SUNT NULLÆ = Quam conclusionem probant etiam *Roch. de Curt. de jurepat. verb. honorificum num. 76. & 81. Lambertin. eodem tract. lib. 2. par. 2. quæst. 4. art. 1. n. 1. & art. 4. n. 2. Vivian. eodem tract. lib. 8. cap. 7. num. 1. Lotter. de re benef. lib. 2. quæst. 6. num. 33. Card. de Luc. de jurepat. disc. 64. num. 31. Rot. decis. 2. num. 9. coram Priolo, & decis. 889. num. 1. coram Merlin., & deduxi superius Par. 2. Can. 4. 5. 6. 7. & 8. in Comment. Conclus. quarta.*

I. Ratio hujus Conclusionis desumitur hinc ex *Canone I.* quia nimirum Episcopus debet examinare, & inquirere an Præsentatus sit idoneus, quod fieri non potest, nisi præsentetur, & exhibeatur coram ipso; Quod procedit sive institutio spectet ad Episcopum, sive ad inferiorem; cum hac tamen differentia, quod si institutio spectat ad Episcopum; præsentatio est coram eo facienda, tum quoad effectum institutionis, tum quoad effectum examinis; si verò spectat ad inferiorem, præsentatio est coram eo facienda, quoad effectum examinis dumtaxat *Garz. de benef. par. 9. cap. 3. n. 19. vers. duodecimo Lotter. de re benef. lib. 2. d. quæst. 6. n. 33. Barbos. hic num. 1.*

Ultra casus superius examinatos *Par. I. Can. V.*, sequentia hinc differuntur:

ARGU.